Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38221
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek



196

quantum sibi dicerentur aut utroque modo aut alios illum
alius alium modum commemorasse. Et albi autem cantum post
testiam negationem secundum intellegimus sicut marcus
expressit, Sequitur ergo matheus dicens. Et recordatus est petrus verbi dei quod dixerat prius quam gallus can
tet ter me negabis, Et egressus foras plorauit amare.
Marcus autem dicit. Recordatus est petrus verbi quod dixe
rat eihs. prius quam gallus cantet bis ter me negabis et coepit
flere. Lucas autem sic ait. et conuersus dns respexit petrum
et recordatus est petrus uerbi dni sicut dixit. Quia prius quam
gallus cantet ter me negabis. et egressus foras petrus fleuit
amare, Iohannes de recordatione et fletu petri tacet, Sane
in eo quod ait lucas quod conuersus dns respexit petrum quomodo
accipiendum sit diligentius, Considerandum est quamuis enim
dicantur et iam interiora atria. Tamen in exteriore atrio fuit
petrus. Inter seruos qui simul se ad ignem calefaciebant,
Non est credibile quod ibi audiebatur dns a iudaeis ut corporalis
fieret illa respectio. Nam et cum dixisset matheus. Tunc expue
runt in faciem et colaphis eum ceciderunt. Alii autem palmas
in faciem eidederunt dicentes. Prophetizano bis xpe quis
est qui te percussit. secutus est namque primum excurrit inde
ut commemoraret extremum iude traditoris quem solus narrauit
dicens, Tunc iudas qui eum tradidit quia damnatus
est paenitentia ductus reddidit xxx argenteos principibus
sacerdotum et seniorbus dicens. Peccauit tradens sanguinem
iustum. Illi dixerunt quid ad nos tu uideris. Et iectis
argenteis in templo recessit et abiens laqueo se suspendit,
Principes autem sacerdotum acceptis argenteis dixerunt
non licet mittere eos in corbanan quia pretium san
guinis est, Consilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli
in sepulturam peregrinorum. Propter hoc uocatus est
ager ille acheldemach. hoc est ager sanguinis usque